58

S. D. N.

D. VRBANI
DIVINA PROVIDENTIA
PAPAE VIII.

Declaratio quod per alienationem quorumcunque locorum in Statu Eccleſiaſtico exiſtentium non cenſeatur tranſlatus in acquirentem titulus Ducatus, Principatus, Marchionatus, vel Comitatus, locis huiuſmodi annexus, vel in eis erectus, vel illum transferendi data facultas, niſi in licentia alienandi id expreſſe conceſſum fuerit.



ROMAE,
Ex Typographia Reuerendæ Cameræ Apoſtolicæ.
MDCXXXIX.

VRBANVS PP. VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

CVM rationi minus conſentaneum ſit, vt translato in alios dominio Ciuitatum, Oppidorum, Caſtrorum, Terrarum, aliorumque locorum in ſtatu noſtro Eccleſiaſtico exiſtentium, ac honoris, & dignitatis titulis plerumquè non tam ſui, quàm illa poſſidentium, vel maiorum ipſorum intuitu, & contemplatione ob præclara eorum erga Romanos Pontifices, & Sedem Apoſtolicam, Chriſtianamquè Rempublicam merita decoratorum, ipſi quoquè tituli huiuſmodi quaſi acceſſoriè translati cenſeantur; Hinc eſt, quod nos Motuproprio, & ex certa ſcientia, maturaquè deliberatione noſtris, deq. Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, hac noſtra perpetuò valitura conſtitutione, declaramus,

& decernimus, quod de cæterò perpetuis futuris temporibus per quamcumquè Ciuitatum, Oppidorum, Caſtrorum, Terrarum, aliorumquè locorum in ſtatu noſtro Eccleſiaſtico mediato, vel immediato exiſtentium, venditionem, & quamuis alienationem, etiam alienationis latiſſimè ſumpto vocabulo; non cenſeatur in emptorem, & quemlibet alium quocumquè titulo lucratiuo, vel oneroſo, & aliàs quomodolibet acquirentem translatus titulus Ducatus, Principatus, Marchionatus, vel Comitatus, nec titulum huiuſmodi transferendi data facultas; etiamſi titulus huiuſmodi Ciuitati, Oppido, Caſtro, Terræ, vel loco venditæ, ſeu vendito, & alienatę, ſeù alienato annexus, ſeu in ea, vel eo erectus eſſet, niſi in licentia Apoſtolica vendẽdi, & alienãdi iuxta cõſtitutiones fœl. rec. Sixti V. Clementis VIII. & Pauli V. Romanorũ Pontificum prædeceſſorum noſtrorum, ac noſtras omnino prius obtinenda ſpecificè, & verbis expreſſis translatio tituli huiuſmodi conceſſa fuerit, præſentes quoquè litteras quouis prætextu, vel cauſa de ſubreptionis, vel obre-

ptio-

ptionis, ſeu nullitatis vitio, aut intentionis noſtræ, vel alio quouis defectu notari, impugnari, retractari, in ius, vel controuerſiam vocari nullatenus poſſe, ſed illas ſemper validas, firmas, & efficaces exiſtere, & fore, plenamquè roboris firmitatem obtinere, ſicquè & non aliter in præmiſſis per quoſcumquè, Iudices ordinarios, & delegatos etiam cauſarum Palatij Apoſtolici, & curiæ Cameræ Apoſtolicæ generalem Auditores, & dictæ Cameræ Clericos Præſidentes, ac S.R.E. Cardinales etiam de latere Legatos, ac eiuſdem S.R.E. Camerarios, Ciuitatumquè Oppidorum, Caſtrorum, Terrarum, & locorum huiuſmodi Gubernatores, & Magiſtratus quomodolibet nuncupatos nunc, & pro tempore exiſtentes, ac quoſuis alios quacumquè auctoritate fungentes ſublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate iudicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane ſi ſecus ſuper his à quoquã quauis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus. Non obſtañ præmiſſis, ac conſtitu-

tio-

tionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac quatenus opus ſit, noſtra de iure quæſito non tolleñ, & alijs Cancellariæ Apoſtolicæ regulis, legibus quoque Imperialibus, & municipalibus, ac quorumuis locorum etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus etiam immemorabilibus, priuilegijs quoque indultis, & litteris Apoſtolicis quibuſuis locis, & perſonis quomodocumque nuncupatis, ac qualitercumquè qualificatis, etiam ſpeciali nota, & mentione dignis ſub quibuſcũque tenoribus,& formis,ac cum quibuſuis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, irritantibuſque, & alijs decretis etiam Motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſimilibus in genere, vel in ſpecie, ac aliàs in contrarium pręmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus, & ſingulis etiamſi pro ſufficienti illorum derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis,ſpecifica,expreſſa, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per

clau-

clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quæuis alia expreſſio facienda eſſet, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſeruanda foret, illorum omnium, & ſingulorum tenores præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum ſpecialiter, & expreſse derogamus, cæteriſque contrarijs quibuſcumque. Dat. Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem ſub Annulo Piſcatoris, die 17. Maij M.DC.XXXIX. Pontificatus Noſtri Anno Decimoſexto.

M.A.Maraldus.

Anno à Natiuitate Domini Noſtri Ieſu Chriſti milleſimo ſexcenteſimo trigeſimo nono, die vero decimatertia menſis Auguſti ſupradictæ litteræ affixæ & publicatæ fuerunt in Valuis Baſilicæ S.Petri de Vrbe, ac Cancellariæ Apoſtolicæ, & alijs locis ſolitis, & conſuetis Vrbis per nos Fuluium Marzitelium & Carolum Peloſium Sanctiſſimi D.N.Papæ Curſores.

Pro D.Magiſtro Curſorum Antonius Bardus deputatus.